

stantiâ loci. sic furtū in loco sacro perpetratum atrocior est, qvàm
in profanô : Sic, qvi aliquem interficit in domô suâ, gravius pec-
cat, qvàm qvi alibi. (5) *Ex circumstantiâ temporis.* Sic turpius
habetur crimen, qvod die festo committitur, qvàm qvod profa-
no. (6) *ex occasionis consideratione.* Sic minus delictū est, ad qvod
te peccandi occasio invitavit, qvàm cum occasionem ipse fece-
ris. (7) *ex facti quantitate.* Sic delictum aliquoties reiteratum
abominabilius est, qvàm semel commissum. (8) *Ex actus quali-
tate,* tûm *intrinsecâ*, tûm *extrinsecâ*, qvæ agentis animû declarat.
(9) *ex instrumenti estimatione.* Sic gravius est homicidium gla-
diô aliquem interficientis, qvàm baculô vel manu. (10) *ex eventu*
attentione, qvi, si prævisus, aggravat actum, si fortuitus, extenuat.
Vid. Gabr. Vazq. in 1. 2. Thom. disp. 49. Greg. de Val. in 1. 2. Thom.
disp. 6. qv 3. punct. 2.

XXIV. Hactenus de internâ A. M. proprietate, bonitate nem-
pe & malitiâ, disputavimus; qvâcum paria facit honestas & inho-
nestas s. turpitudo. Nam eâdem operâ id deducimus è rectitudi-
nis Regulâ, qvæ præscribit, qvid in actibus hominum moralibus
sit honestum & faciendum, qvid item turpe, execrandum & fugi-
endum : Ubi honestatis vocabulum non usurpamus pro *civili*
decore s. iis, qvæ licita sunt, nec tamen decora; sed pro *honestate*
legis naturalis; sicuti & è contrario turpe ac in honestum non ad-
hibemus pro eô, qvod cum politiâ quâdam indecentiâ conjunctum
est; sed prout immediatè deviationem à rectitudine regulæ moralis
exprimit. *Extrinsecus* a. A. M. concomitari solet *laus* & *vituperium*. Hoc enim habet ab ipsâ bonitate & maliitia, & quatenus
fuit in liberâ operantis potestate.

XXV. Et hæc suat, qvæ de Actione humanâ moraliter con-
sideratâ disseruisse volui; jam animus ad *principia ejusdem* appli-
candus foret: Verùm, cùm & charta spatiū quodantenus invi-
dere videatur, & explicandis iisdem diutiis inhætere mei non
sit instituti, pedem hic figo. Qvocirca plura legendi cupidum
ad fœcunda & jucunda Ethicorum scripta remittens differ-
tationi colophonem addo. Sit itaq; qvod super-
est, actionum mearum AVspIClo& fInI LaVs Data Digna; Deo.